



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Theodōritu Episkopu Kyru Kai Eyagriu Scholastiku
Ekklesiastikē Istorìa, Eklogai Apo Tōn Istorion
Philostorgiu Kai Theodōru**

Theodoretus <Cyrrhensis>

Mogvntiae, 1679

Caput Primum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14162

DE PETRO
ANTIOCHENO EPISCOPO
QUI FULLO COGNOMINATUS EST,
ET DE SYNODIS
ADVERSUS EUM COLLECTIS.

Caput Primum.

PETRUS Monachus primum fuit Accemiten-
sis, & in eo monasterio Fullonis artem exer-
cuit; unde & Fullonis cognomen tum ei
inditum, ut scribit Alexander Monachus in
laudatione sancti Barnabæ. In hoc igitur mo-
nasterio Petrus cum adversus Chalcedonensem
Synodum assidue declamaret, & Eutychanum
dogma palam defenderet, tanquam corruptor Apo-
stolicæ fidei, à fratribus eiectus est monasterio.
Inde igitur digressus, Chalcedonem se contulit, &
in ea urbe Presbyter fuit Ecclesiæ sanctæ Basæ, ut
testatur Theodorus Lector, & Theophanes in
Chronico. Verum cum in ea quoque urbe Eu-
tychanum dogma publicè prædicaret, & Chalce-
donensem Synodum convitiis & maledictis appe-
teret, inde quoque expulsus venit Constantinopo-
lim. Erat tunc in urbe regiâ Zeno vir potentissi-
mus, Patricius & Comes Excubitorum, cui Leo
Ang. Ariadnem filiam suam desponderat. In ejus
amicitiam Petrus callidè sese insinuavit. Et cum
idem Zeno à Leone Magister militum per Orien-
tem in locum Ardaburii factus, in Orientem pro-
ficisceretur, Petrus ejus comitatu adhæsit, & unâ
cum illo venit Antiochiam. Id factum est Leone
quartum & Probiano Cos. anno Christi 471. ut in
Annalibus Ecclesiasticis rectè observavit Baronius.
Neque enim audiendus est Theophanes, qui hunc
Zenonis ac Petri adventum in urbem Antiochiam
diu ante retulit. Sed cum constet ex Candidi Hi-
storia, Zenonem magistrum Orientalis militiæ
factum non fuisse, nisi post cædem Asparis & Ar-
daburii: Etenim Ardaburius magister erat rei mi-
litaris per Orientem, ut testatur Damascius apud
Suidam in voce *σπηνεαυδς*; cumque præterea
constet ex Marcellini & ex Victoris Thuronen-
sis Chronico, Asparem & Ardaburium eo quem
dixi anno cæsos esse, ipsorum necesse est, ut Zeno &
Petrus qui eum comitatus est, eo Consulatu An-
tiochiam advenerint. Erat tunc in urbe Antioche-

Ana Præsul Martyrius, vir Catholicus, & Chalce-
donensis Synodi propugnator. Hunc Petrus Ze-
nonis gratiâ atque opibus adjutus, omnibus mo-
dis oppugnare aggressus est: Nestorianum eum
appellans, & Clericos Antiochenis Ecclesiæ ad-
versus eum incitans. Erant in urbe Antiochena
plurimi Apollinaris sectatores, jam inde à Vitale
Antiocheno propagati, qui Meletii ac Paulini tem-
poribus schisma in ea Ecclesia & sui nominis
sectam condiderat. Horum igitur partibus ad-
junctus Petrus Fullo, Theopaschitarum dogma
palam prædicare cæpit, anathema dicens iis qui
Deum crucifixum negarent. Quin etiam Trifa-
gio hymno qui in Ecclesia cani consueverat, clau-
sulam illam adjecit: *Qui crucifixus es pro no-
bis.* Quâ ex re plebs Antiochena duas in partes
divisa est. Et alii quidem Petrum Fullonem se-
Bquebantur: Reliqui vero martyrio adhererunt.
Is tunc temporis Constantinopolim profectus
fuerat ob Ecclesiastica quædam negotia, ac for-
tasse etiam ob tumultus illos quos Petrus Fullo in
Antiochensi Ecclesia excitaverat. Cum igitur
Constantinopolim venisset Martyrius, Genna-
dii Constantinopolitani Episcopi operâ ac suffra-
gio à Leone Augusto benignè susceptus est, idque
cujus gratia potissimum venerat ab Imperatore ob-
tinuit; legem videlicet quâ interdictum erat, ne
quis Monachus relicto suo monasterio, in urbe
Antiochena, vel in alia qualibet civitate moraretur,
& de religione disputando turbas ac tumultus in
Ecclesia excitaret. Ea Constitutio Leonis Aug.
ad Zenonem Magistrum militum missa refertur in
libro primo codicis Justiniani, qua Petrus Fullo
tacito nomine denotatur, ut rectè à Baronio ob-
Cservatum est. Reversus post hæc Antiochiam
Martyrius, cum seditiones ac dissidia quotidie au-
geri animadverteret, & Zenonem Magistrum mi-
litiæ sprete Leonis Constitutione Fulloni favere,
in publico Ecclesiæ conventu palam Episcopatu
sese abdicavit, retenta nihilominus sibi sacerdotii
dignitate. Quo facto, Petrus Fullo in Antioche-
nam sedem tanquam vacuum insiluit. Quæ cum
Gennadius comperisset CP. Episcopus, cuncta

Leoni Augusto nuntiavit. Imperator vero his rebus commotus, Synodum Episcoporum Antiochia fieri præcepit, in qua Petrus Fullo depositus est ac damnatus, & in ejus locum ordinatus est Julianus, ut scribunt Theodorus Lector & Theophanes. Porro Imperator Leo Petrum Fullonem Synodali sententiâ damnatum, Oasin in exilium deportari jussit, ut testatur Acacius Constantinopolitanus Episcopus in epistola ad Simplicium Papam, quæ refertur à Gelasio in gestis de nomine Acacii. Hujus epistolæ verba operæ pretium fuerit hic apponere. Ex iis enim colligitur id quod superius dixi, Petrum Fullonem in Synodo esse damnatum. Sic igitur habent. Cui dum Acacii scripta legeremus quæ de Petro & Joanne Antiochenis miserat, excessus Acacii etiam in hac causâ gravissimos deprehendit. Illo enim tempore quo de Petro Alexandrino damnato retulerat, non longè post etiam de Petro & Joanne scripserat: Petrum apud Constantinopolim monasterium gubernasse; sed hoc propter crimina derelicto, Antiochiam fugisse. Ibi pulso Martyrio Catholico Episcopo, per hæreticos sedem ipsius occupasse; continuoque damnatum, à Leone tunc Principe ad Oasitanum exilium esse directum. De quo lapsus, Constantinopolim rediisse, ac dedisse fidem quod nullas ulterius turbas facere prorsus auderet. Hæc est prima Petri Fullonis damnatio. Quam si quis non in Synodo ab Episcopis factam esse contendat, sed ab ipso Leone Augusto, is meminisse debet, Episcopos nunquam solitos esse in exilium mitti à Christianis Imperatoribus, nisi post damnationis sententiam in eos legitime prolatam. Sic Photinum, Nestorium ac Dioscorum legimus esse relegatos post Synodale judicium, ut omittam Arium Presbyterum. Certè Liberatus in cap. 18. Breviarii, locum hunc ex epistola Acacii describens, discretè dicit Petrum ab Episcopis esse damnatum, & Leonis imperio in Oasin deportatum. Caterum Petrus Fullo in hac primâ Episcopatus Antiocheni invasione, brevi admodum tempore sedisse videtur. Nam in epistola Acacii ad Simplicium Papam, cujus verba superius relata sunt, post arreptum Episcopatum continuo damnatus esse dicitur.

Capit. II.

Post mortem Leonis Augusti, Zeno de quo supra diximus, à Leone filio suo coronatus, Imperii regimen accepit. Sed mox Basiliscus tyrannide arrepta, eum cum Ariadne conjuge in isauriam fugere compulit. Ita Basiliscus citra sanguinem Imperium adeptus, statim adversus Chalcedonensem Synodum insurrexit, & promulgata sanctione eandem Synodum ab omnibus Episcopis damnari præcepit. Ac primum quidem Timotheum Alurum ab exilio revocavit. Petrum deinde Fullonem sedis suæ restitui jussit, ut tradunt Theodorus Lector & Theo-

phanes. Quibus rebus acceptis, Julianus Antiochenus Episcopus gravi dolore percussus interit. Petrus igitur Fullo cum Antiochenam sedem Præfule suo viduatam reperisset, eam iterum occupavit. Ac primum quidem Joannem quendam qui Synodali sententiâ depositus fuerat, Episcopum Apamenis ordinavit. Sed cum Apamensi Joannem Episcopum admittente nolissent, Joannes Antiochiam reversus, adversus Petrum auctorem Episcopatus sui insurrexit. Et collectâ Episcoporum Orientalium Synodo, Petrum è sede sua deturbavit. Ipse in ejus locum susceptus trium circiter mensium spatium Episcopatum obtinuit, ut tradit Theophanes in Chronico. Joanne igitur post trimestre spatium deposito, communi Orientalium Episcoporum suffragio Stephanus Episcopus Antiochiæ ordinatur anno Christi 378. Qui mox Synodicas litteras ad Acacium Constantinopolitanum Episcopum misit, quibus ei & ordinationem suam, & damnationem Petri ac Joannis Antiocheni significabat. His litteris acceptis, Acacius Synodum Episcoporum qui tunc fortè Constantinopoli morabantur, collegit, & Petrum Fullonem ac Joannem supra memoratum, una cum Paulo quodam Ephesiorum, ni fallor, Episcopo damnavit: Deque ea re litteras scripsit ad Simplicium Papam, petens ab Apostolica sede, ut si fortè ad eam confugerent, nec visum dignos eos haberet; & si jam aliquam indulgentiam forsitan impetrassent, irritam esse debere affirmans; nec eorum penitentiam recipendam esse. Hujus epistolæ verba, haud certè sensum ipsum refert Gelasius in gestis de nomine Acacii. Meminit etiam ejusdem epistolæ Acacii ad Simplicium Gelasius Papa in epistola ad Orientales his verbis: *Hic autem ille*, est Petrus Antiochenus quem nec per penitentiam ad communionem Catholicam recipi etiam à sede Apostolica poposcit Acacius. Sed & Felix Papa in epistola quam scripsit universis Archimandritis & Monachis Constantinopoli & per Bithyniam consistentibus, ejusdem epistolæ meminit ita dicens: Adjectum etiam tunc cum ista in examinatione tractantur, quod Acacius Joannem illum Tyrannorum Ecclesiæ fecerit præsidere, qui Apamenis à Petro Antiochena Ecclesiâ tyranno fuerat Episcopus ordinatus, sed minime receptus. Proprio Ordinatore depulso eandem sedem non timuit occupare. Quos tunc hypocrita Acacius ita fecit ab Apostolica sede damnari, ut his etiam Christianorum vocabulum tolleret, quod gesta apud eum habita manifestant. Ex quibus verbis colligitur, Petrum Fullonem in Constantinopolitana Synodo ab Acacio esse damnatum. Hæc enim verba Felicis Papæ; quod gesta apud eum habita manifestant, non nisi de Synodalibus gestis intelligi possunt. Ceterum in iisdem litteris ad Simplicium Papam Acacius etiam de Paulo quodam retulerat, ut didici ex epistola Gelasii Papæ ad Orientales quæ sic habet: Quos si à fide integra, communionemque Catholica putaretis errare, ad Apol-